Grabianowski Andreas: Quaestio de clericis studiorum causa in ecclesia vel praebenda non residentibus.

~~2465 Prawe.~~

D. O. M. DDq; PP.

QVÆSTIO
De Clericis causâ Studiorum in Ecclesia vel Præbenda non residentibus.



A

M. ANDREA GRABIANOWSKI, V. I. D. Iustinianeo in Academia Crac: Professore, Prothonotario Apostolico, publicè ad disputandum.

PROPOSITA

In Lectorio DD. Iureconsultorum.


Die 20 Marty Hora 8 antemeridiana.

Anno Domini M. DC. LIV.

CRACOVIÆ,
Apud LVCAM KVPISZ S. R. M. Typograp.



Cum Ecclesia vel Ecclesiasticum ministerium committi debet, talis ad hoc persona quæratur, quæ residere in loco, & curam eius per seipsum valeat exercere, quodsi aliter actum fuerit, & qui receperit, quod contra Sacros Canones accepit, amittat, & qui dederit, largiendi potestate priuetur. Alex. Tertius Archiepiscopo Eboracensi in cap. *Quia nonnulli.* h. tit: *&* SS. Concil: Trident: Sess: 7. de reformat: c. 3.



Statuimus vt Ordinarij non conferant beneficia quæcunq; & qualiacunq; nisi illis qui per triennium in vniuersali studio approbato literis operam dederint, literasq; testimoniales Rectoris Gymnasij desuper Ordinarijs ostenderint. Et *infra.* Et istis non aliter prouideatur. Lib: 3. *Constit: Prouinc: Eccl: Metrop: Gnesn: in Synodo* Lancicien*s: tit: Ad beneficia qui & quales instituendi.* fol: 149.



QVÆSTIO

Exc. Tuæ Fraternitatis.

Ext: de Cler: non resid: in Eccl: vel Præbend.

Iuncta L. 40. Generaliter.

C. de Episc: & Clericis.

V. Beneficiarijs tam Curatis, quàm non Curatis, necessitate tamen residentiæ obligatis, ratione studij literarij absentibus, & in Studio generali commorantibus ad effectum quærendi fructus beneficiorum post SS. Concilij Tridentini confirmationem, & eiusdem publicationem, Ordinarij locorum possint & teneantur dare dimissoriam necne?

CONCLVSIO I.

Beneficiarijs Curatis post Concilium Tridentinum causâ studij literarij sese absentare, etiam in Studio generali commorari volentibus, ad effectum quærendi fructus beneficiorum, Ordinarij locorum, non tenentur imo nec possunt dare dimissoriam.

COROLLARIA.

I. Licet olim de iure communi obtentâ Ordinarij licentiâ Curatus Studiorum causâ, per quinquennium imo & Septennium à beneficio suo abesse, & fructus suos facere poterat, hodie tamen præmissæ dispositioni per SS. Conc: Trid: est derogatum.

II. Non solum in Studentibus, sed etiam in docentibus causa studij, post dictum Concilium non est grauis causa, vt absint à suis Curatis & fructus suos faciant.

III. Licet Curatus æquè benè per Vicarium manualem populo seruiat, imo & Festis Solennioribus personaliter Ecclesiam adeat, attamen absens causâ studij, pro rata absentiæ suæ, post dictum Concilium non facit fructus suos.

IV. Si quando contingat, vt Curatus causâ studiorum ad effectum fructuum in absentia percipiendorum ex speciali S. Sedis Apostolicæ gratiâ licentiam obtineat,

neat, illa non alias nec aliter eidem Curato suffragabitur, nisi prius ab Ordinario loci desuper admissio gratis præstanda accedat.

V. Beneficium Curatum Cathedræ aut Simplici beneficio vel officio incorporatum, habens tamen Vicarium in exercitio curæ intitulatum; non impedit beneficiarium, quominus causâ studiorum licentiam præmissam ab Ordinario obtineat, imo nec requiritur in Cathedratico vt eandem obtineat.

CONCLVSIO II.

Beneficiarijs non Curatis, necessitate tamen residentiæ obligatis, causâ studij literarij sese ad tempus absentare, & interim fructus beneficiorũ suorum lucrari volentibus, dummodo in eis ætas, docilitas, & studij qualitas concurrat, tenetur Ordinarius etiam post dictum Concilium gratis concedere dimissoriam.

COROLLARIA.

I. Si dicta dimissoria, vltra quinquennium aut septennium per præfatum beneficiarium, à die quo studere aut docere cæpit impetretur, eidem nullo modo suffragabitur.

II. *Si præmissa dimissoria suprascriptis concurrentibus requisitis, Beneficiario petenti per Ordinarium denegetur, licitè ad Superiorem recurritur.*

III. *Obtentâ ex causa studiorum extra locum beneficij præmissi consistentium, dimissoriâ, non est obtinenda super ipsa ab eodem beneficio absentia.*

IV. *Licet dictus Beneficiarius præmissam ad percipiendos fructus dimissoriam obtineat, non tamen prætextu eiusdem pro rata absentiæ suæ quotidianas lucrabitur distributiones.*

V. *Si tamen præfatus Beneficiarius, omnes beneficij sui fructus, in huiusmodi distributionibus consistentes habeat, tunc ex vi dictæ dimissoriæ etiam distributiones, demptâ tertiâ parte lucrabitur.*

CONCLVSIO III.

Beneficiarijs etiam non curatis studiorum gratia in aliquo particulari studio commorari, & interim fructus beneficiorum suorum facere volentibus, Ordinarius tam ante, quàm post dictum Concilium, non tenebatur nec tenetur dare dimissoriam.

COROLLARIA.

I. *Licet æquè benè in studio particulari, sicut & in generali vigeant studia, non tamen ex eo, præmissa dictis Beneficiarijs concedenda dimissoria* II.

II. *Si tamen ijdem Beneficiarij prætextu dimissoriæ sibi ad studium generale datæ, propter guerram aut pestem de studio generali ad particulare transire velint, id non est eis denegandum.*

III. *Licet Beneficiarius causâ studiorum dimissus in studio generali maneat, imo & Scholas adeat, si tamen verè & actu non studeat, non facit fructus suos.*

IV. *Licet dictus Beneficiarius sese ad modicum tempus, puta per tres aut quatuor Menses à studio generali absentet, intentionem tamen ad studia redeundi habeat, & expost realiter ad illa redeat, facit fructus suos.*

V. *Licet SS. Concilium Tridentinum Sess: 5. Cap: 1. de refor: prædictam dimissoriam Scholaribus Sacræ Scripturæ Studentibus concedere videatur, idem tamen est in Studentibus vel docentibus Ius Canonicum.*





Sub felicibus auſpicijs,

Magnifici & Clariſsimi Domini

GABRIELIS OCHOCKI,

Philoſophiæ & Medicinæ Doctoris, & Profeſſoris Digniſſimi,

A C

In Alma Academia Gracouienſi Studij Generalis

R E C T O R I S

Vigilantiſſimi.

Vrbis Cracouienſ: SENATORIS

Meritiſſimi.